



213.



Disputatio XX.

DE INTERDICTIS.

QVAM;

*Diuina adspirante gratiâ,*

PRÆSIDE

V. CL. ET IVRE CON-  
SULTO CELEBERRIMO, DN.  
HENRICO BOCERO, ANTECESSORE  
IN ACADEMIA TVBINGENSI, PRÆCEPTORE SVO  
in primis obseruando: ordinarij exercitij gratiâ de-  
fendere conabitur

IOHANNES LEVCHSNERVS.



TUBINGÆ,

Excudit Georgius Gruppenbachius,

ANNO M. DC.

000



Dissertatio X.

DE INTERDICTIS

QVAE

Interdictis

PRÆLATORUM

V. CL. ET IVRECON-

SPICIT. JOHANNES

BOGNER, ANTIQVVS

ET RECTOR SCHOLÆ

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

IN VILVA, SIVE

## Disputatio XX.

## DE INTERDICTIS.

## THESIS I.

**D**E DOMINIO, EIVSQUE SPECIEBUS & acquirendi illius modis hactenus. (a) Succedunt deinceps actiones (b) pro eo competentes; ut sunt interdictum, & actio in rem, ita specialiter dicta, & ab interdicto distincta. (c)

a) Vide thesin 2. disputat. 1. & thesin 1. & 2. disputat. 2. sub hac classe 4. (b) Quasdam dominij actiones supra suis locis opportunè exposuimus, De ceteris nunc seorsum agemus commodiùs. (c) l. 1. §. Est igitur 4. vers. Restituta, ibi, aut interdicto expeditur, aut per actionem, & §. Interdictum ff. uti possidet. l. non solum 39. in prin. ibi, in actionibus & interdictis ff. de procurat. l. Thesaurus 15. ibi, vel interdictum, vel iudicium, ff. ad exhib. & l. ult. C. de actionib. empt. & vendit.

## II.

Interdicti autem notatio quæ fit, quidq; ab actione differat interdictum, Doctores ignorare videntur, qui Iustinianum (d) reprehendentes, negant interdictum appellari, quod inter duos fit dictum; affirmantes, interdictum vocari, quasi interim dictum (e) eò quòd rotam litem non perimat, sed ad tempus duntaxat possessionem alterutri litigantium addicat, donec scilicet de proprietate siue iure ipso iudicetur. (f)

d) §. Sunt tamen qui putant, vers. sed tamen, Instit. de interdict. (e) Alciat. lib. 3. Parerg. cap. 15. & ad l. Pecunia verbum 48. §. actionis. ff. de verb. significat. Cuiac. in Paratit. ff. de interdictis, vers. Ac scite potiùs. & in Paratit. C. eod. tit. Henric. Schilbock. in comment. ad Instit. tit. de interdict. ad Rubric. Vult. lib. 2. iurisprud. Roman. cap. 21. (f) Cum tamen nonnulla interdicta totam questionem finiant, ut est interdictum de aqua cottidiana & æstiva, l. 1. §. ult. ff. de aqua cottid. & æst. & interdictum de itinere actuq; priuato, l. 3. §. Hoc autem 13. vers. Itaq; qui ff. de itinere actuq; priuat.

## III.

Hallucinantur & illi, qui interdictum inde appellatum volunt, (g) quod sit non quasi inter duos, vel interim dictum, sed quasi interim edictum, eò quòd edicere idem sit, quod iubere, (h) & Prætor in omni interdicto iubebat quid fieri, vel non fieri. (i)

g) Donell. ad Rubric. Cod. nu. 3. (h) Est hoc falsum. Nam quibusdam suis edictis Prætor nihil iubet, sed tantum actionem tribuit, nihilominus tamen sunt edicta, non interdicta, l. 1. in prin. ff. nautæ, caupon. stab l. 1. in prin. ff. commodat. l. 2. in prin. ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. l. 1. in prin. ff. Quando de pecul. actio annal. sit. l. 1. §. 1. ff. depositi. vel denegat actionem. ait Prætor 7. ff. de iureiur. (i) Sed & in quibusdam edictis iubet quid fieri Prætor, cum tamen interdicta non sint. l. 4. §. 1. ff. de in ius. vocand. tit. Ne quis eum, qui in ius vocabitur vi eximat. Tit. In ius vocati ut eant, vel cautum dent. l. 4. in prin. l. 6. Prætor. ait. 8. ff. de edendo. l. Servum 33. §. ait Prætor. 3. ff. de procurat.

## IV.

Nos autem Iustinianum secuti, asserimus quidem interdictum appellari inde, quod inter duos sit dictum, sed alio sensu, quam Ioan. Robertus (a) post Concium Vuesenbec. (b) existimant. (c)

a) lib. 3. sentent. iur. cap. 19. (b) Ad §. 2. sub lit. D. Instit. de interdict. (c) Volunt enim quod interdicta reddantur inter duos tantum litigatores, non etiam inter personas tres, duos scilicet litigatores, & iudicem pedaneum, ad quos actiones referri aiunt, atque hinc interdicta vocari, & distingui ab actionibus.

## V.

Arbitramur autem interdictum hinc recte quasi inter duos dictum appellari, quod Prætoris edictum, quod continet interdictum eiusmodi est forma & conceptio verborum, quibus non solum quid fieri iubetur, aut fieri prohibetur, (a) sed & quæ ad duos tanquam præsentis litigatores diriguntur: (b) cum tamen edictum, quo Prætor actionem pollicetur, ad duos non referatur quasi præsentis litigatores, sed indefinite & in uniuersum actio in eo promittatur. (c)

a) §. 1. Instit. de interdict. (b) l. 1. in prin. & §. Prætor ait, ff. de mortuo infer. l. 1. in prin. ff. Quorum bonor. l. 1. in prin. ff. de tabul. exhib. l. 2. in prin. ff. Ne quid in loco pub. l. 1. in prin. ff. de loco pub. l. 1. in prin. ff. de via pub. l. 1. in prin. & §. Deinde ait Prætor. 19. & §. ult. ff. de fluminib. l. vn. §. Deinde ait Prætor, ff. Ne quid in flumine pub. l. vn. in prin. ff. Ut in flumine pub. l. vn. in prin. ff. de ripa muniend. l. 1. in prin. ff. de vi & vi armat. l. 1. in prin. ff. uti possidet. l. 1. in prin. ff. de superficiob. l. 1. in prin. ff. de itinere actuque priuat. l. 1. in prin. ff. de aqua cottid. & æstiv. l. 1. in prin. ff. de rivis l. vn. ff. de fonte. l. 1. in prin. ff. de cloacis. l. 1. in prin. ibi, restituas. ff. Quod vi aut clam. l. 2. in prin. ff. de precario. l. 1. in prin. ff. de arborib. cadend. l. vn. ff. de gland. legend. l. 1. in prin. ff. de lib. exhib. l. vn. ibi, quo minus is eum ducat, ff. Vtrubi. & l. 1. in prin. ff. de migrando. Non obstat l. 1. in prin. ff. Ne vis fiat ei ibi enim vel non tam interdictum, quam edictum, & in eo actio quadam proponitur, uti,

vti arguit eiusdem legis §. Est autem generale hoc edictum. §. Hac actio, §. Hoc edicto, & §. vlt. ff. eod. tit. Vnde ibidem in §. 1. pro interdictum legi debet edictum, monente etiam Cuiacio lib. 5. obseruat. cap. 17. vel quia ipsa Rubrica verbis interdicti concepta est, iccirco edictum etiam propositum in ipso titulo pro interdicto habendum est, siquidem alias etiam interdicta licet in rem videantur concepta tanquam edicta, vi tamen ipsa personalia sint l. 1. §. penult. ff. de interdict. Neque etiam obstat l. vn. in prin. ff. Ne quid in flumine pub. Non enim ibi totum interdictum proponitur, sed pars eius prior, altera pars sequitur in §. Deinde ait Prætor, vbi verba interdicti ad duos referuntur. (c) l. 1. §. 1. ff. de dolo malo, l. 2. §. 1. ff. de capit. minut. l. 1. in prin. ff. Nautæ caupon. stab. l. 1. in prin. ff. de public. in rem act. l. 1. in prin. ff. de his, qui deiec. vel effud. l. 1. in prin. ff. de serv. corrupt. l. 1. in prin. ff. commodat. l. 2. in prin. ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. l. 1. in prin. ff. Quando de pecul. act. annal. est. l. 1. §. 1. ff. depositi.

## VI.

Et licet quædam interdicta verbis generaliter in rem videantur concepta, non quasi ad præsentem personas directæ, (a) vi tamen ipsa personalia sunt omnia, (b) id est, perinde haberi debent, ac si verba eorum quasi ad præsentem personas fuerint prolata. (c)

a) Vt interdictum de quo in l. 1. ff. Ne quid in loco sacro, & in l. 1. in prin. ff. Ne quid in loco publ. (b) l. 1. §. pen. ff. de interdict. (c) Sicuti pleraque interdicta verbis ita sunt concepta, vt ad personas quasi præsentem videantur directæ, vti arguunt leges ad thesin præcedentem sub lit. B. adductæ.

## VII.

Differt itaq; interdictum ab edicto (vt rectè etiam Bartol: (a) & eum secutus Ioan. Robertus (b) sentiunt) quod species à genere, cum omne interdictum sit edictum, (c) licet alij aliter sentiant. (d)

a) ad l. 1. ff. de novi oper. nunciat. (b) lib. 3. sentent. iuris, cap. 19. (c) vti patet ex inscriptionibus legum, quæ sub titulis de interdictorum speciebus habentur in Pandectis. (d) Cuiac. lib. 5. obseruat. cap. 17. vers. Nunc de Donel. ad Rubric. Codic. de interdict. nu. 8. & Dominus Althus. lib. 2. Iurisprudentiæ Romanæ, cap. 6. vers. 3. pag. 217. in prin.

## VIII.

Non solum tamen interdictum appellatur ipsum Prætoris edictum prædictâ formâ & conceptione verborum propositum, sed & actio eiusmodi edicto promissa, interdictum vocatur. (a) Vnde Prætor quando perentibus talem actionem dabat, interdicere, (b) & interdictum dare (c) dicebatur. Actor item hinc similiter, cum de possessione





vel quasi concessum: (a) nullum de sola proprietate, aut iure quodam tributum, quamvis quædam etiam rei persecutionem, & quasi proprietatis causam contineant: (b) Siquidem in eis de quasi proprietate etiam probationes desiderantur. (c)

a) *Ut diuisio interdictorum in l. 2. §. vlt. ff. de interdictis, & in §. sequens diuisio, Instit. eod. tit. tum etiam definitio interdicti in §. 1. Instit. d. t. proposita facile declarant.* (b) *d. l. 2. §. Quædam interdicta, ff. eod. tit. Cuiac. in lib. 63. Pauli ad edictum, pag. 119. & seq. & Donell. ad Rubric. Cod. de interdict. nu. 6.* (c) *Velut in interdicto de itinere actûq; priuato reficiendo, l. 3. §. Ait Prætor. ii. iuncto §. Hoc autem ff. de itinere, actûq; priuat. & interdictum de aqua cottidiana & æstiuâ, l. 1. §. vlt. ff. de aqua cottid. & æst.*

## XII.

Et quia interdictum omne est de possessione vel quasi, iccirco eius iudicium possessorium appellatur, (a) vt actionis in rem iudicium petitorium. (b)

a) *c. Pastoralis. & c. seq. extra de causa poss. & propr.* (b) *c. cum dilectus. extra d. t. & l. Qui petitorio 36. in prin. ff. de rei vindicat.*

## XIII.

Etsi verò vt actio, Sic & interdictum olim à Præatore impetrandum erat, qui litigaturo quadam in formulâ id dabat, iudicemq; ipsis partibus constituebat, qua ex re iudicia dicebantur ordinaria: (a) postea tamen, vt impetratio actionis & formula eius sublata fuit, & ipso iure actio competere cœpit, (b) atq; inde iudicia facta sunt extraordinaria: (c) Sic & interdictum postulari desijt, idq; ipso iure ex ipso edicto absq; impetratione competere cœpit, (d) ita vt perinde hodie iudicetur sine redditis interdictis, ac si utilis actio ex causa interdicti reddita sit: (e) quæ actio alibi (f) exemplo interdicti, alicubi (g) ad instar siue ad exemplum interdicti (quod scilicet à Præatore dari solebat) competere dicitur.

a) *Petr. Faber. lib. 4. coniecturar. cap. 7.* (b) *l. 2. C. de formulis, & impetrationib. actionum sublat. vbi Cuiac. in Pararit.* (c) *Instit. tit. de successiõib. sublati.* (d) *l. vlt. C. de interdict.* (e) *l. pen. C. d. tit. & §. vlt. Instit. eod. tit.* (f) *l. 2. C. vnde vi.* (g) *l. 4. C. d. t. & l. 3. C. de interdict.*

## XIV.

Vtrum autem interdictum in rem actio sit, vel in personam, dubio non caret. Et licet in rem esse videantur omnia, (a) attamen pleraque in personam esse arbitramur, vt quæ ex delicto sunt. (b) Ex conuentione

6  
 rione est, interdictum precarium. (c) Sed interdictum de liberis exhibendis in rem esse videtur. (d)

a) Per l. 1. in prin. ff. de interdict. & docet Dominus Vult. lib. 2. Jurisprud. Rom. cap. 21. vers. Vnde actionum, & Dominus Althus. lib. 2. Jurispr. Rom. cap. 4. vers. Reales actiones. (b) Interdictum unde vi in personam esse arguit textus expressus in l. cum à te 7. ff. de vi & vi armat. & docet Cuiac. in lib. 24. Pauli ad edictum pag. 412. col. 2. & Donel. lib. 15. comment. cap. 31. pag. 468. & pag. 474. lin. 5. Idem ergo de ceteris etiam, quæ ob vim dantur, iudicandum erit, quippe cum vis maleficium siue delictum sit. l. 1. §. Sed et si 14. ibi, in maleficio, & §. Quod igitur ibi, maleficij causa, et l. pen. in fin. ibi, quia ex ipso tempore delicti, ff. de vi et vi armat. Donel. dict. lib. 15. cap. 32. in fin. & cap. seq. in fin. & cap. 37. in prin. vbi docet, quod omnia interdicta sint ex maleficio, exceptis duobus, vno de migrando, altero de precario. Sed & interdictum de migrando ex maleficio esse reor, per l. 1. in fine principij, ibi, vim fieri veto, ff. de migrando. (c) l. 1. in prin. & l. 2. §. 2. ff. de precario. (d) arg. l. 1. ff. de liberis exhib. iunct. l. 1. §. Per hanc 2. ff. de rei vindicat.

XV.

Cæterum interdicta competunt aut de rebus diuinis, aut de humanis rebus.

l. 1. in prin. ff. de interdict.

XVI.

Diuinæ res, de quibus interdicta competunt, sunt loca sacra, & religiosa. (a) De locis sacris est interdictum: Ne quid in loco sacro fiat: (b) Idq; porrigitur etiam ad loca sancta, veluti muros, portas, aliaq; sancta loca. (c) Et pertinet non ad id quod ornamenti causa in loco sacro vel sancto fit, sed quod deformitatis, vel incommodi fit causa: (d) estq; populare. (e)

a) d. l. 1. in prin. ff. d. t. (b) l. 2. §. 1. ff. eod. tit. & Tot. Tit. ff. Ne quid in loco sacro, (c) l. 2. & l. 3. ff. d. t. (d) l. 1. §. 2. ff. eod. tit. Veluti si edificetur in loco sacro, vel sancto, §. Summa, vers. Prohibitoria, Instit. de interdict. (e) arg. l. Iubemus 14. §. sanè 5. C. de SS. Eccles. & l. si quis 10. C. de Episcop. & Cler. & docet Cuiac. in paratit. ff. Ne quid in loco sacro, & Vvesenbec. ibidem in Paratit. nu. vlt. & Arnold. ab Haersolte. in aduersarijs de actionib. ad 6. partem Pandectar. act. 51. nu. 3. & vlt.

XVII.

De locis religiosis est interdictum de mortuo inferendo, & de sepulchro ædificando, vel reficiendo; quod competit contra illum, qui vim facit ei, qui licitè mortuum in locum religiosum infert, aut sepulchrum ædificat, reficitue, d. l. 2.

*d. l. 2. §. 1. ff. de interdict. & l. 1. & tot. tit. ff. de mortuo inferend. vbi Cuiac. & Vuesenbec. in Paratit.*

## XVIII.

Res humanæ, de quibus redduntur interdicta, vel nullius sunt, vel sunt alicuius. Nullius res sunt, liberæ personæ, (a) de quibus exhibendis, & ducendis interdicta competunt.

*d. l. 1. in prin. ff. de interdict. l. 1. & tot. Tit. ff. de homine lib. exhib. & l. 1. & tot. Tit. ff. de liber. exhib. item ducend.*

## XIX.

Res, quæ alicuius sunt, aut publicæ sunt, aut singulorum. Publicæ, vt loca publica, viæ publicæ, flumina publica, (a) de quibus competunt interdicta varia, (b)

a) *l. 1. in prin. vers. publica, ff. de interdict. (b) Quæ proponuntur sub Tit. 7. §. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. lib. ff. 43.*

## XX.

Res singulorum, de quibus interdicta competunt, vel ad bonorum vniuersitatem pertinent, vel ad res singulas. De bonorum vniuersitate est interdictum quorum bonorum: De rebus singulis est interdictum, vti possideris, & interdictum de itinere actuq; priuato.

*d. l. 1. in fine principij ff. de interdictis.*

## XXI.

Secundò, interdicta aut prohibitoria sunt, aut restitutoria, aut exhibitoria.

*d. l. 1. §. 1. ff. de interdict. & §. Summa autem, Instit. eod. tit.*

## XXII.

Prohibitoria sunt, quibus Prætor aliquid fieri vetat; veluti vim sine vitio possidenti: vel mortuum inferenti, quod ei ius erat inferendi; vel in loco sacro ædificari: vel in flumine publico ripaué eius aliquid fieri, quo peius nauigetur.

*§. Prohibitoria, Instit. d. t.*

## XXIII.

Vim sine vitio possidenti fieri dicimus, cum quis vel rei seruandæ causa, vel causa seruandi legati aut fideicommissi, vel ventris nomine, vel ex qua alia causa in possessionem missus est, sed venire in possessionem ab aliquo prohibetur, vel cum venisset in possessionem, eâ pulsus est.

*l. 1. §. 2. & §. 3. l. 4. in prin. & §. pen. & vlt. ff. Ne vis fiat ei, prohibitorium hoc esse interdictum arguit l. 3. §. Prætor 2. ff. d. t.*

PPP

Com-

CLASSIS QUARTÆ

XXIV.

Competit vtile hoc interdictum ei, qui certis modis in heredis bonamissus est, sed non admittitur in his bonis.

*l. 3. §. 1. ff. d. t.*

XXV.

Continet autem hoc interdictum vtilitatem creditoris; vt quantum eius interest, possessionem habere, ei tantum, qui prohibuit, condemnatur.

*d. l. 1. §. Hac verba. ff. eod. tit.*

XXVI.

Suo quis an alieno nomine prohibitus sit, nihil interest: Et tam is tenetur, qui suo nomine, quam qui alieno nomine prohibuit, (a) Quod si domini, vel patris nomine prohibitus quis sit à possessione, in ipsos dabitur, quasi per alios hoc fecerint. (b)

a) *l. 2. ff. d. t.* (b) *l. 1. §. si domini. 7. ff. eod.*

XXVII.

In pupillum tamen, qui doli capax non est, & in furiosum non datur hoc interdictum.

*d. l. 1. §. Hoc edicto. ff. d. t.*

XXIX.

In heredes similesq; personas non datur, nisi in id, quod ad eas peruenit. Sed heredi, similibusq; personis conceditur.

*d. l. 1. §. vlt. ff. eod. tit.*

XXX.

Competit autem intra annum hoc interdictum siue interdicti actio, excepta legatorum missione. Nam cum prohibitus quis est, legatorum vel fideicommissorum causa possessionem adipisci, tunc actio & perpetua est, & in heredem dabitur.

*d. l. 1. §. vlt. ff. d. t.*

XXXI.

Qui missus est in possessionem fideicommissi seruandi causa, & non admittitur, vel hoc interdicto vti potest, vel potestate eius inducendus est in possessionem, qui eum misit, etiam per manum militarem.

*l. 3. in prin. ff. h. t.*

Idem

## XXXII.

Idem quoq; iudicandum est de eo, qui certis modis in bona heredis missus, sed non admissus fuit.

*d. l. 3. §. 1. ff. eod. tit.*

## XXXIII.

Deinde vim sine vitio possidenti fieri dicimus, cum duo de possessione contendunt, & vterq; se possidere affirmat, alter autem alterum in possessione turbat. Vnde inter eos interdictum prohibitorium, **VTI POSSIDETIS**, si lis sit de prædij possessione: (a) vel **VTRVBI**, si de rei mobilis possessione contendant, locum habet. (b)

a) *l. 1. in prin. & §. 1. & Tot. Tit. ff. vti possidet. & l. vn. C. eod. tit. De interdicto, vti possidetis, fuse egimus sub classe 3. disputat. 5. thesi 40. & aliquot seq.*

(b) *l. vn. ff. de vtrubi. De hoc interdicto tractatum est supra dict. disput. 5. thesi 62. & 63.*

## XXXIV.

Quòd si contentio sit inter duos de superficie, tunc illis prohibitorium interdictum de superficie iure comparatum est, simile interdicto **VTI POSSIDETIS**, proindeq; vt illud, duplex.

*l. 1. ff. de superficiebus. De hoc interdicto vide sub dict. classe 3. disputat. 5. thesi 64. 65. 66. 67. 68. & 69.*

## XXXV.

Sunt quoq; prohibitoria interdicta tributa quasi possidenti sine vitio iter, actum, aut viam; vnum de retinendo vsu itineris, actusq; privati, & viæ, alterum de itineris, actusq; refectione.

*Tot. Tit. ff. de itinere actusq; priuat. de vtroq; hoc interdicto egimus supra sub eadem classe 3. disputat. 5. thesi 70. 71. 72. & 73.*

## XXXVI.

Huius quoq; generis prohibitorium interdictum duplex comparatum quasi possidenti sine vitio aquæductum: vnum de vsu aquæductus, alterum de eiusdem refectione.

*Tot. Tit. ff. de aqua cottid. & æstiuæ. De his interdictis differuimus supra dict. disputat. 5. thesi 74. 75. 76. 78. & 79.*

## XXXVII.

Eiusdem generis prohibitoria interdicta duo tributa sunt quasi possidenti sine vitio aquæductum, & pecoris ad aquam appulsum; vnum de vsu fontanæ aquæ, alterum de fontis refectione.

*l. vn. ff. de fonte. De hisce ambobus interdictis actum supra dict. disputat. 5. thesi 80. & seq.*

PPP 2

Est

## XXXVIII.

Est præterea prohibitorium interdictum possidenti ius cloacæ priuatæ tributum, si ei, purgare, aut reficere cloacam volenti, vis fiat.

*l. 1. in prin. & §. §. aliquot seqq. ff. de cloacis. De hoc dispeximus interdicto sub dicta disputat. 5. thesi 82. 83. 84. 85. 86.*

## XXXIX.

Atq; hæc sunt interdicta prohibitoria, quibus Prætor vim fieri vetat sine vitio possidenti. De interdicto de mortuo inferendo breuiter egimus supra, (a) vt & de interdicto de loco sacro. (b) De prohibitorio interdicto, quod est de flumine publico, ripaue eius, nunc paucis dispiciemus.

a) *Thesi 17.* (b) *Thesi 16. cuius meminimus sub thesi 22.*

## XL.

Flumen publicum hîc dicimus, quod est perenne (a) & nauigabile: (b) Et ripam vocamus id, quod plenissimum flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens. (c)

a) *l. 1. §. Fluminum 3. ff. De fluminib.* (b) *Diæt. Rub. de fluminib. ibi, quo peius nauigetur, & l. 1. in prin. ibi, quo statio iterue nauigio deterior sit. & §. non autem. 12. ff. d. t.* (c) *d. l. 1. §. Ripa 5. & l. pen. §. 1. ff. eod.*

## XLI.

Contra eum autem, qui in flumine publico, ripaue eius quid facit aut immittit, quo deterior statio, vel iter nauigio fiat, interdictum prohibitorium competit, vt à conatu illo abstineat: (a) Idq; populare esse cum Cuiacio (b) remur.

a) *l. 1. in prin. §. In flumine. u. & §. seq. ff. De fluminib.* (b) *In Paratit. ff. eod. tit.*

## XLII.

Stationem dicimus à statuendo: Estq; locus is, vbicunq; naues tuto stare possunt. (c) Nauigij appellatione non modò naues, sed & rates continentur. (d)

c) *d. l. §. Stationem. 13. ff. d. t.* (d) *d. l. 1. §. Ait Prætor. 14. ff. eod. tit.*

## XLIII.

Deterior autem statio, itemq; iter nauigio fieri videtur, si vsus eius corrumpatur, aut difficilior fiat, aut minor, vel rarior, aut si in totum auferatur. Proinde siue deriuetur aqua, vt exiguior facta, minùs sit nauigabilis: vel si dilaretur; aut diffusa, breuem aquam faciat: vel contra si coangustetur, & rapidius flumen faciat; vel si quid aliud fiat, quod nauiga-

uiga-

uigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorsus impediatur,  
interdicto huic locus erit.

*d. l. 1. §. Deterior 15. ff. d. t.*

## XLIV.

Quod si flumen nauigabile non sit, & in eo quid fiat, vt exarescat,  
vel aquæ cursus impediatur, vtile interdictum competit: ne vis fiat ei;  
qui quod factum est, quo cursus fluminis deterior sit, tollere, demoliri,  
purgare, restituere viri boni arbitrato possit.

*d. l. 1. §. Non autem 12. vers. Sed Labeo scribit, & §. sed et si 18. ff. d. t.*

## XLV.

Similiter si in mari quid fiat inue litore eius, quo portus, statio,  
iterue nauigio deterius fiat, competit interdictum.

*d. l. 1. §. si in mari 17. ff. eod. tit.*

## XLVI.

Quod si in insula quid fiat, contra interdictum, exceptio compe-  
tit, non etiam si quid ripæ tuendæ causa fiat.

*d. l. 1. §. si insula 6. iunct. §. Labeo scribit. 16. ff. d. t.*

## XLVII.

SEQVITVR de interdictis restitutorijs, quibus Prætor restitui  
aliquid iubet; veluti bonorum possessori possessionem eorum, quæ  
quis pro herede, aut pro possessore ex ea hereditate possidet: aut cum  
iubet ei, qui de possessione deiectus sit, restitui possessionem.

*§. Restitutoria, Instit. de interdictis.*

## XLVIII.

Est igitur interdictum QVORVM BONORVM, restitutori-  
um interdictum. (a) vt & interdictum VNDE VI. (b)

a) *l. 1. §. 1. ff. Quorum bonorum.* (b) *§. Recuperanda possessionis, Instit. de in-  
terdict.*

## XLIX.

Interdictum QVORVM BONORVM competit ei, cui  
ex edicto Prætoris bonorum possessio, ex testamento vel ab intestato  
delata, data est, id est, qui apud magistratum bonorū possessionem agno-  
uit, & quidem ex vera & iusta causa; vt si probauerit se esse fratrem si tan-  
quam frater petierit bonorum possessionem, vnde legitimi, vel se esse  
filium, si tanquam filius præteritus petierit bonorum possessionem  
contra tab.

*l. 1. ff. Quorum bonor. l. 1. & l. 2. C. eod. tit. vbi Cuiac. in Paratit.*

QUART CLASSIS

Competit & illi, qui ex testamento, vel ab intestato delatam hereditatem agnouit; (a) sed directum, an utile, interpretes variant; Nos huic utile dari interdictum arbitramur, (b)

a) l. i. C. d. t. Dissentit Cuiac. in Paratit. ibidem in fine (b) Nam edictum Praetoris de eo nominatim loquitur, cui ex Praetoris edicto possessio data est, l. i. in prin. ff. eod. tit. Vnde ei, qui delatam hereditatem non iure praetorio, sed civili iure suscepit, utile tantum hoc interdictum competit. Id quod sentiunt etiam Dd. quos refert & sequitur Menoch. de adipiscend. possess. Remed. i. nu. 33. & seq. VVesenb. in Paratit. ff. Quorum bonor. nu. 7. Dissentit Donel. ad Tit. Quorum bonor. nu. 3.

Sed an suo etiam heredi competat, in dubium vocatur? siquidem hic ipso iure sit heres. Et huic quoque illud tribui asserimus.

Nec enim suus heres possessionem rerum hereditariarum absque adprehensione acquirit, per allegata ad thesin 10. disputationis XI. sub classe 2. Vide quoque Minsing. cent. 3. obseruat. 38

LII.

Competit autem hoc interdictum I. aduersus eum, qui pro herede, prout possessore possidet aliquid de ijs bonis, de quibus agitur. II. aduersus eum, qui vel usucapione aliena, vel dolo fecit, quo minus pro herede prout possessore possideret. Debitores vero hereditarij hoc interdicto non tenentur; sed tantum corporum possessores. (b)

a) l. i. ff. Quorum bonor. & §. adipiscendae possessionis, Donel. ad Cod. eundem Tit. nu. 9. 11. & 12. quem etiam vide nu. 6. 7. & 8. (b) l. 2. ff. d. t. Cuiac. in lib. 20. Pauli ad edictum, pag. 306. col. 2.

LIII.

Et si vero hoc interdictum ad vniuersitatem bonorum pertinere dicatur, (a) & verè pertineat, si ipsum actorem spectes, ex cuius iure metimur actionem, cum de eius conditione agitur, (b) attamen competit quoque de rebus singulis, etiam minimis quas quis pro herede vel possessore possidet. (c)

a) l. i. §. 1. ff. Quorum bonorum, (b) l. i. §. 1. ff. si pars heredit. petatur, (c) d. l. i. in prin. ibi. Quod de his bonis. ff. Quor. bonor. l. Regulariter 9. & l. seq. ff. de petit. heredit. Donel. ad Tit. Cod. Quor. bonor. nu. 10.

LIV.

Et quidem in hunc finem hoc agitur interdicto, ut in actorem reus corpora hereditaria, (a) id est, possessionem (b) rerum hereditariorum transferat.

a) l. ult.



a) l. vlt. C. Quor. bonor. (b) l. i. C. d. tit. §. adipiscenda, vers. Ideo autem  
 Instit. de interdict. Vide Donel ad Tir. Cod. Quor. bonor. nu. 13.

## LV.

Huic interdicto affine est remedium ex l. vlt. C. de edict. D. Hadr. tollend. quod perpetuum & duplex est; vnum de in hereditariarum rerum possessionem missione scripti ex asse vel ex parte heredis, qui contradictorem habet nullum: alterum est condictio ex illa lege, competens similiter ita scripto heredi, sed contradictorem habenti. Et vincit hac condictio, vel contra eam opposita exceptione, qui potiora iura habere videtur, de quo summam Iudex cognoscit. (a) Institutus autem substituto præfertur, (b) siue substitutus sit directò siue per fideicommissum ante restitutam hereditatem. (c)

a) d. l. vlt. C. de edict. D. Hadr. toll. (b) l. i. C. d. t. (c) l. Filiam ff. ad S. C. Trebell.

## LVI.

Mittitur autem scriptus heres in possessionem earum rerum, quas mortis tempore testator possedit: In possessionem aliarum rerum, quas alius iusta ex causa possedit non antè mittitur, quam petitione hereditatis aut rei vindicatione egerit.

d. l. vlt. §. Sancimus. vers. mittatur quidem, C. de edict. D. Hadr. toll.

## LVII.

Sed dubium habet, mittaturne scriptus heres in corpora tantum hereditaria, an verò etiam in actiones & iura? Accursius in actiones mitti negat, (a) vt & alij communiter: (b) Vaudus (c) autem & alij affirmant, quos sequimur. (d)

a) ad d. l. 3. in verb. legitimo, circa finem, C. d. t. (b) Quos sequitur Menoch. de adipiscend. possess. Remed. 4. nu. 393. (c) Per rationes à Vaudò propositas.

## LVIII.

Est item, vt & supra meminimus, Interdictum VNDE VI restitutorium. Sed de hoc latè fuseq; diximus sub classe 3. disputat. v. thesi 3. & aliquot seqq.

## LIX.

Est præterea restitutorium interdictum de eo QVOD QVIS IN FLUMEN PVBLICVM, RIPAMVE EIVS IMMISSVM HABET, vt scilicet id restituat.

l. i. §. Deinde ait Prator 19. & §§. seqq. D. de fluminib.

EST

## LX.

Est quoq; Interdictum **QVOD VI, AVT CLAM**, restitutorium, sed de eo etiam disseruimus satis sub dicta disputatione v. thesi 88. & seqq.

## LXI.

Est etiam restitutorium interdictum, **QVOD LEGATORVM**: (a) quo agit heres, vel bonorum possessor, (b) aut horum successor, (c) aduersus legatarium aut fideicommissarium, vel eorum successorem, etiam singularem. (d) ad hoc vt restituat, (e) quod legatorum nomine absq; voluntate (f) ipsius heredis, vel bonorum possessoris legatarius occupauit, & nunc possidet, aut dolo possidere desijt. (g)

a) l. 1. §. & continet 2. D. quod legat. (b) l. vlt. §. 1. D. d. t. (c) d. l. 1. §. 3. D. eod. (d) l. 1. §. legatorum & §. illud tenendum 13. D. d. t. (e) d. l. 1. §. 2. §. quod ait 7. & 2. §§. seqq. l. 2. §. 2. D. eod. tit. (f) d. l. 1. §. 2. & §. quod ait Praetor 11. D. d. t. (g) l. 1. §. quod ait. 7. D. d. t. vid. Donel. ad eundem tit. Cod. nu. 2. & 4.

## LXII.

Quod si incertum fuerit, vtrum quis pro legato, an pro herede vel pro possessore possideat, & hereditatis petitio instituenda, & hoc interdictum reddendum est, ita tamen vt protestetur actor, ex altera actione se consequi velle, quod se contingat.

d. l. 1. §. 4. D. d. t.

## LXIII.

Ex hoc interdicto qui non restituit, in id quod interest, condemnari debet.

l. 2. §. 2. D. h. t.

## LXIV.

Ideò autem hæc, occupatæ vacuæ possessionis restitutio petitur, vt heres vel bonorum possessor, receptare occupatâ, per eius retentionem sibi seruare possit.

l. 1. C. quod legator.

## LXV.

Qui autem hoc interdicto agit, legatorum nomine satisdare paratus esse debet.

l. 1. §. quod ait Praetor. 16. & 6. §§. seqq. & l. 2. D. d. t.

## LXVI.

Restitutorium deniq; interdictum est (a) **INTERDICTVM**

PRE-

PRECARIVM (b) de quo sub classe I. disputat. X. thesi XXXIII. & seqq.

a) l. 2. §. 1. D. de precar. (b) Ita appellatur in l. & habet 15. §. cum quis, ibi, precarium interdictum, & l. duo in solidum 19. §. 1. ibi, precario interdicto, D. d. t.

## LXVII.

Restant exhibitoria interdicta, quæ sint, quibus Prætor iuber aliquem exhiberi; veluti eum, cuius de libertate agitur: aut libertum, cui patronus operas indicere velit: aut parenti liberos, qui in potestate eius sunt.

§. Exhibitoria, Instit. de interdict.

## LXVIII.

Est ergo exhibitorium interdictum, interdictum DE LIBERO HOMINE EXHIBENDO. Idq; competit omnibus, (a) liberum hominem exhiberi desiderantibus, humanitatis & libertatis alienæ tuendæ causa, (b) atq; ita officij causa, (c) aduersus eum, qui dolo malo (d) hominem liberum retinet.

a) l. 3. §. Hoc interdictum 9. ff. de homine lib. exhib. (b) l. 1. §. 1. & d. l. 3. §. Hoc interdictum, 9. ff. eod. t. (c) l. 2. §. 1. vers. iuris sui. ff. de interdictis. (d) l. 1. & l. 2. §. 2. & §§. seqq. ff. d. t.

## LXIX.

Competit ergo etiam patri de exhibendo filio emancipato, item matri de exhibendo filio, filiaue, (a) tum etiam marito de exhibenda uxore, ac ducenda (b)

a) l. 2. C. de liberis exhib. (b) l. 3. C. eod. tit. l. 2. ff. d. t. de liberis exhib.

## LXX.

Creditori non competit de exhibendo debitore latitante, qui apud alium est.

l. vlt. §. vlt. ff. d. t. Donel. ad Tit. Cod. de liberis exhib. nu. 5.

## LXXI.

Est quoq; exhibitorium interdictum de liberto exhibendo, patrono competens.

d. l. 2. §. 1. in fin. ff. de interdict.

## LXXII.

Est item exhibitorium interdictum de liberis exhibendis, quod competit parentibus, qui ipsos liberos in potestate habet, aduersus eum, apud quem sunt liberi, non tamen sua sponte.

l. 1. & l. vlt. ff. de liberis exhib.

999

Huius

CLASSIS QUARTÆ

LXXIII.

Huius interdicti, ut præparatorij, sequela est interdictum DE LIBERIS DUCENDIS, quod prohibitorium est.

*l. 3. & l. pen. D. d. t.*

LXXIV.

Similiter exhibitorium interdictum propositum est de TABVLIS TESTAMENTI EXHIBENDIS SIVE PROFERENDIS: (a) quod competit his, qui aliquid in eis adscriptum habent, ut sunt heredes primi vel secundi existente casu substitutionis, (b) Item legatarij & fideicommissarij, quorum interest: (c) aduersus eum, penes quem sunt eæ tabulæ, si neget exhibere se eas posse vel debere. (d) Aduersus eum, qui non negat, hoc interdictum non competit, sed extra ordinem eas exhibere compellitur. (e)

*a) l. 3. § hoc. 7. D. de tab. exhib. (b) l. vii. C. d. t. (c) d. l. 3. § solent. D. eod. (d) l. 1. § 1. D. h. t. (e) l. 2. § vlt. D. testamenta quemadmod. aper.*

LXXV.

Competit quoq; heredi cæterisq; successoribus illius, cui quid adscriptum est in testamento. Et competit etiam post annum.

*l. 3. § pen. & vlt. D. de tab. exhib.*

LXXVI.

Quod si reus non exhibeat testamenti tabulas, tunc condemnatio huius iudicij, quanti interfuit æstimari debet.

*d. l. 3. § condemnatio. 11. D. d. t.*

LXXVII.

Est & illud hic notandum, quod licet quædam interdicta mixta dicantur, prohibitoria & exhibitoria, (a) attamen ea inuicem reuera esse distincta. (b) Est etiam interdictum quoddam & prohibitorium & restitutorium, (c) Quoddam quoq; & exhibitorium & restitutorium. (d)

*a) l. 1. § 1. D. de interdict. (b) l. 3. § 1. D. de liber. exhib. (c) l. 3. § Prætor. 2. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. erit. (d) l. 2. § In hoc. 2. D. de lib. exhib. Cuiac in Paratit. C. de tab. exhib.*

LXXVIII.

Tertio interdictorum quædam adipiscendæ possessionis causa comparata sunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

*l. 2. § vlt. ff. de interdict. & § sequens diuisio, Instit. eod. tit.*

LXXIX.

Adipiscendæ possessionis causa interdictum est, quod competit ei,

ei, qui ante nactus non est possessionem. Eiusmodi quoque interdictum est, quod ad commodatur bonorum possessori, & appellatur *QUORVM BONORVM* de quo supra egimus.

*d. l. 2. §. vlt. & §. adipiscenda, Instit. d. t.*

## XXC.

Saluianum quoque interdictum adipiscendae possessionis causa comparatum est: (a) Idque de pignoribus datur locatori domino fundi ad persequendam possessionem rerum coloni in fundum inuectarum, & illatarum, atque pro mercede locationis pignori specialiter obligatarum. (b)

a) *l. 2. §. vlt. vers. Saluianum quoque, ff. de interd. & §. Interdictum quoque, Instit. eod.* (b) *Dicto §. Interdictum quoque, & ibi Theophil. Instit. d. t. & l. 1. & l. 2. ff. de Saluiano interd. Donel. ad l. 1. nu. 1. 2. 3. & 4. C. de precario, & Salv. interd. Inducta enim inuecta, & illata in fundum conductum, non aliter pignori sunt, quam si id expresso pacto tantum fuerit, l. Debitor. 32. ff. de pig. & hypoth. l. 4. in prin. vers. In rusticis, ff. In quib. caus. pig. vel hypothec. tac. contrah. & l. 5. C. de locat. & cond.*

## XIXC.

Competit autem hoc interdictum non tantum aduersus conductorem colonum, sed & aduersus quemuis extraneum possessorem.

*l. 1. §. 1. ff. de Saluiano interd. Donel. ad l. 1. nu. 5. C. de precario.*

## XXIXC.

Sed si colonus in extraneum alienauerit rem pignori obligatam, utile interdictum locum habet.

*d. l. 1. in prin. ff. de Saluiano interd. Donel. ad d. l. 1. nu. 2. C. de precario.*

## LXXXIII.

Sed controuersum est, competatne hoc interdictum etiam alij locatori, & cuius creditor, ad persequendam possessionem rerum cuiuscumque debitoris pignori tacite vel expresse obligatarum? Nos quasi Saluianum competere affirmamus.

*Per text. in d. l. 1. ibi, aduersus conductorem, debitoremue, C. de precario, & Saluian. interd. iunct. §. Quasi Seruiana, Instit. de actionib. & docet Cuiac. in Pragmat. Cod. Tit. de precario. Dissentit prator alios Donel. ad d. l. 1. nu. 3.*

## LXXXIV.

Retinendae possessionis causa comparatum est interdictum, *VTI POSSIDETIS, ET VTRVBI*. Cuiusmodi interdicta totam quaestionem non finiunt, sed praeparant tantum causam, & ad possessionem duntaxat temporariam pertinent,

§. Retinenda possessionis, & §. sed interdicto, Instit. de interdict. De utroq; hoc interdicto planè differuimus sub classe 3.

## LXXXV.

Recuperandæ possessionis interdicta sunt, quibus qui possessione vi deiectus est, amissam possessionem recipere intendit. Eiusmodi autem est interdictum VNDE VI.

d. l. 2. §. vlt. vers. Recuperandæ, ff. de interdict. & §. Recuperandæ, Instit. eod. tit. De hoc interdicto similiter laxa egimus stylo sub dicta classe 3.

## LXXXVI.

Sed quæritur, sint ne mixta interdicta, tam recuperandæ, quam adipiscendæ possessionis? Contra Accursium (a) cum Cuiacio (b) & Petr. Fabr. (c) negamus.

a) ad d. l. 2. in fin. ff. de interdict. (b) lib. 4. obseruat. cap. XI. (c) lib. 2. coniecturar. cap. 18.

## LXXXVII.

QVARTO interdictorum quædam simplicia sunt, quædam duplicia. Simplicia sunt, in quibus alter actor, alter reus est, qualia sunt omnia restitutoria, & exhibitoria. Quædam etiam prohibitoria simplicia sunt, (a) veluti interdictum, ne quid fiat in loco sacro (b) & interdictum, ne quid fiat in flumine publico ripaue eius, & interdictum, de arboribus cædendis, quo id agitur, ne vis fiat ei, qui arborem in suas ædes impendentem ex ædibus vicini adimere, & collocare vult, & denique interdictum de itinere ætuoq; (c).

a) l. 2. in prin. ff. de interdict. & §. Tertia diuisio. Instit. eod. Tit. (b) §. Prohibitorium autem interdictorum, Instit. d. r. (c) d. l. 2. in prin. ff. d. t.

## LXXXVIII.

Duplicia interdicta sunt, in quibus par vtriusq; litigatoris conditio est, nec quisq; præcipue reus vel actor intelligitur, sed vnusquisq; tam rei, quam actoris partes sustinet. Tale est interdictum VTI POSSIDETIS, & VTRVBI.

§. Duplicia, Instit. de interdict. & d. l. 2. in prin. ff. d. r. & l. 3. §. Hoc interdictum. 1. ff. vti possid.

## LXXXIX.

Sed dubitatur, sint ne etiam duplicia interdicta illa, quæ recuperandæ & adipiscendæ possessionis causa comparata sunt? Nos autem id negamus, (a) licet Anton. Faber (b) affirmet. (c)

a) In his enim interdictis vterq; litigator, & actor, & reus esse nequit, cum in his

his unus non possessor vel amissam possessionem recipere, vel quam nunquam habuit, nunc primum adipisci desideret, alter verò eam cum habeat, sibi defendat. (b) Dict. lib. 2. coniectur. cap. 18. (c) Per text. in l. 2. in fin. ff. de interdict. iunct. l. 1. §. 1. vers. Inter ipsos. ff. de Saluiano interdict. Placet autem nobis coniectura Cuiacij lib. 4. obseruat. cap. XI. & in lib. 63. Pauli ad edict. pag. 121. col. 1. quem tamen in eo errare existimamus, quod in d. l. 2. §. vlt. in fin. ff. de interdict. per interdicta duplicia intelligit mixta interdicta. Remur autem partim cum Ruf. partim cum Cuiacio, legendum esse dicto loco, hoc modo: Sunt etiam interdicta (vt diximus) duplicia. Omisissis scilicet sequentibus verbis: atq; hac clausula, significare Paulum, interdicta, vti possidetis de quibus ibidem proximè meminit. Hec enim supr. id est, in principio eiusdem legis, duplicia dixit interdicta. Est igitur loci illius sententia hac: interdicta, vti possidetis, non modò retinendæ possessionis sunt, sed sunt etiam duplicia. Cetera verba hæc, tam recipiendæ, quàm apiscendæ possessionis reijcimus cum Cuiacio in proximè seq. legem, vt ea his concipiatur verbis, In interdictis tam recipiendæ, quàm apiscendæ possessionis, exinde ratio habetur fructuum, ex quo edita sunt, non retrò.

## XC.

Deniq; interdictorum quædam annalia sunt, quædam perpetua. (a) Annale interdictum est, NE VIS FIAT EI, QUI IN POSSESSIONEM MISSVS EST, (b) Item interdictum VNDE VI, (c) Interdictum DE ITINERE ACTVQVE PRIVATO, (d) Interdictum QVOD VI AVT CLAM, (e) & interdictum VTI POSSIDETIS, (f) Perpetuum est interdictum DE MIGRANDO, (g) DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO, (h) DE PRECARIO, (i) Interdictum de VIA PVBLICA. (k) Interdictum NE QVID IN LOCO PVBLICO, (l) & interdictum DE TABVLIS EXHIBENDIS. (m) tum etiam interdictum, NE VIS FIAT EI, QUI IN POSSESSIONEM LEGATORVM NOMINE MISSVS EST. (n)

a) l. 1. §. vlt. ff. de interdict. (b) l. 1. §. Hanc 8. ff. Ne vis fiat ei, qui in possess. miss. est. (c) l. 1. §. annus 39. ff. de vi & vi armat. (d) l. 1. §. annum 3. ff. de itinere actvq; priuat. (e) l. Semper 15. §. Hoc interdictum 3. & §. seq. ff. Quod vi aut clam. (f) l. 1. in prin. ff. vti possid. (g) l. 1. §. vlt. ff. de migrand. (h) l. 3. §. vlt. ff. de lib. hom. exhib. (i) l. Quæsitum 8. §. pen. ff. de precario. (k) l. 1. §. vlt. ff. de via pub. (l) l. 2. §. pen. ff. Ne quid in loco pub. (m) l. 3. §. pen. ff. de tab. exhib. (n) l. 1. §. vlt. ff. Ne vis fiat ei, qui in poss. missus erit.

## XCI.

Sed ex quibus causis annua interdicta sunt, ex his de eo

999 3

quod

¶

CLASSIS QUARTÆ

quod ad eum, cum quo agitur, peruenit, post annum iudicium datur.

l. 4. ff. de interdictis.

Parerga.

I.

*Flumina nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, hodie etiam inuitis quibusdam alijs, publica sunt, sunt & regalia.*

II.

*In his molendina absq; Principis licentia ædificari posse negamus.*

III.

*Idem nobis iudicium est de publicis fluminibus non nauigabilibus, etiamsi Dd. communiter dissentiant.*

IV.

*Sed an Principis supremi, id est, Imperatoris*



ratoris autoritas hic desideretur, vel alterius etiam Principis inferioris, per cuius prouinciam flumen publicum currit, licentia sufficiat, in questionem vocari potest? Et illius tantum indulgentiam iure Iustiniano exigere, huius autoritatem non sufficere dicimus.

## V.

Quid verò, si quisquam in publico flumine molendinum licite edificatum habeat, nunquid supra vel infra illud alius quispiam inuito prioris molæ domino, aliud molendinum licite extruere in eodem flumine potest? Negamus.

## VI.

Si tamen aquæ commodum, & cursus illius non auferatur molæ veteri, nouum molendinum ex Principis indulgentia extrui etiam inuito domino antiquæ molæ potest, etiamsi ei molentium concursus auferatur.

In

## VII.

*In priuato suo flumine citra Principis auctoritatem, molam ædificare nemo prohibetur, quamuis per eam vicinis molis ante hominum memoriam extructis, utilitas quædam detrahatur.*

## VIII.

*Sed nunquid subditi cogi possunt, ut ad sui domini molendinum, frumenta sua conterenda portent? Non posse eos ad hoc compelli planè remur. Quod si tamen ipsi adqueuerint iussu domini, accedente legitima præscriptione, coactionem hanc licitam fieri Dd. communiter concludunt.*

De his enunciatis omnibus, vide D. Præsidis prælectiones in Tractatu de Regalibus, cap. 2. in exemplo regalium maiestatis XVI.

FINIS DISPUTATIONIS  
VIGESIMÆ.

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3  
003 261 573



sb

Burblind. 3/1.







449.

Disputatio XX.

INTERDICTIS.

QUAM;

*ina adspirante gratia,*

PRÆSIDE

ET IVRE CON-

CELEBERRIMO, DN.

OCERO, ANTECESSORE

VBINGENSI, PRÆCEPTORE SVO

ruando: ordinarij exercitij gratiâ de-  
fendere conabitur

ES LEVCHSNERVS,



TVBINGÆ,

Georgius Gruppenbachius,

NO M. DC.

000

